INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCLXXXVII

A DIE XV MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

INEST

FRANCISCI SUSEMIHL DE PLATONIS PHAEDRO ET ISOCRATIS CONTRA SOPHISTAS ORATIONE DISSERTATIO CUM APPENDICE ARISTOTELICA.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE

MDCCCLXXXVII.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

HENRICVS VLMANN

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Trapeziticum si recte, id quod non credo, ab Isocrate abiudicavit Grosseus in dissertatione, quam de hac re scripsit acutissimam [1], evanescunt quidem difficultates chronologicae, quae dissuadent, ne hunc sophistam, antequam scholam suam Atheniensem aperiret, in Chio insula eloquentiam docuisse credamus: attamen vel sic ceterae valent rationes hoc dissuadentes [2]. Si igitur verum vidit Grosseus, nihil impedit, ne illius scholae aperiendae prolusionem orationem tertiam decimam contra sophistas inscriptam iam pluribus ante 390 a. Chr. annis ediderit, nisi Phaedrum Platonis ante eam emissum esse certum est. Nam hoc opus Platonicum Gorgia eiusdem philosophi dialogo, id quod invictis argumentis demonstravit Siebeckius [3] vir clarissimus harumque rerum peritissimus, posterius nequit ortum esse, nisi postquam ex itineribus Megarico Italico Aegyptio Athenas rediit scriptor, post Menonem, ut videtur, certe vix ante annum 395 vel potius 394.

Iam inter omnes hodie constat aut Isocratem in prolusione illa rationem habuisse Phaedri Platonici aut Platonem in hoc dialogo illius orationis, nuperque Siebeckius [4] non illud, sed hoc statuendum esse tam speciosa argumentatione ostendere conatus est, ut facile unicuique persuadeat, qui non satis attente legit declamationem Isocrateam. Qui vero ipsa rhetoris verba accurate comparat cum viri doctissimi interpretationibus, non minus facile intelleget has iusto saepius esse falsas.

---

1) Ueber Isokrates Trapezitikos, Arnstadt. MDCCCLXXXIV.

2) V. Susemihl. De vitis Tisiae, Lysiae, Isocratis etc. Gryphisw. MDCCCLXXXIV. p. XV sq. B. Keil. Analecta Isocratea, Lips. MDCCCLXXXIV, p. 92—94, cf. p. 89—92.

3) Zu Plato's Phaedrus und Gorgias, in Philologi XL. p 175 sqq. Zur Chronologie der Platonischen Dialoge, in Annal. philol. CXXXI. 1885. p. 231 sq. Quamquam non omnia, quae attulit, prorsus vera sunt: qua de re infra accuratius agam.

4) Ann. philol. l. l. p. 241 - 246.

Audiamus enim, ut ab hac re incipiam, de prima illius scripti parte § 1 — 8, qua neminem praeter solum Antisthenem tangit orator, Siebeckium sic disserentem: „das Object seines Angriffs sind Eristiker wie Antisthenes, ausserdem in zweiter Linie und mehr gelegentlich einige den Sokratischen Schulen theils eigenthümliche, theils mit den Sophisten gemeinsame Ansichten von allgemeinerem Charakter. Ausser der Manier, mit welcher die letzteren (!) ihr Honorar verlangen und sicher stellen, tadelt er namentlich ihre (!) Anmassung τὰ μέλλοντα προγιγνώσκειν zu können. Gemeint (und zugleich missverstanden) sind damit wohl diejenigen logischen Tendenzen der damaligen Sophistik, welche auf die Gewinnung einer Theorie der Induction sich richteten (s. Natorp Forschungen p. 146 ff. und dazu Philol. Anz. XIV. p. 550 f.). Jenes sowohl wie dieses sind Eigenheiten der Sophistik (?), die auch bei Platon (nur mit besserem Verständniss der Sache) gelegentlich (ubi?) abfällig kritisirt werden. Der Eindruck, den die Rede in diesen Partien auf Platon machte, muss ein überwiegend günstiger gewesen sein, so dass das bedingte Lob des Isokrates am Ende des Phaidros schon im Hinblick auf diesen Punkt verständlich wird“. Profecto horum omnium in tota hac Isocratis argumentatione nec vola est nec vestigium: ne uno quidem verbo falsa ratio nescio quae attingitur, quae in arte inductionis constituenda exerceatur a nescio quibus, sed ea in re vituperatur Antisthenes, quod scientiam virtutis et ex virtute beatitudinis discipulis promittit, quamquam ex Isocratis sententia, cum scientia virtutis nihil aliud sit atque scire, quomodo sit agendum, agenda autem sint e numero futurorum, hoc promisso contenditur sciri posse etiam futura, quod quoniam absurdum est, virtus reapse non est posita in scientia (ἐπιστήμῃ), sed in sola opinione (δόξῃ), eamque ob rem etiam doceri nequit. Hoc Isocrates in initio exponit §. 2. 3, ad hoc redit in clausula §. 7. 8, neque eorum, quae interposita sunt, ullus alius est finis, nisi ut aliis quoque argumentis demonstret, quam fallax falsumque sit illud Antisthenis promissum. Primum enim, inquit, cynicus magister si revera tanta praestare posset, non tam parvi venalem proponeret disciplinam suam, §. 3. 4. Tum etiam hac in re sibi ipse idem contradicit, quod, quamquam de pecunia divitiisque semper maximo cum contemptu loquitur, nihilominus ut paucos nummulos accipiat, tanta promittit, quanta efficere nullus homo potest, §. 4. Denique etiam magis ridicula ratione secum ipse pugnat, cum inter discipulos neminem recipiat, nisi qui antea mercedem illam apud alios (hoc est, nisi fallor, apud trapezitas) deposuerint, itaque ipsorum discipulorum virtuti magis quam aliorum diffidat et sic ipse demonstret neque illos virtutem apud ipsum didicisse neque eam omnino scientiam esse, ut possit doceri, §. 5. 6. Iam sequitur clausula cum amplificatione quadam: videmus igitur Antisthenem quidem neque ipsum sapientem esse neque ipsum beatum, quoniam (qua in re ipse ponit beatitudinem) minime is est, qui nullis rebus externis indigeat, et ne de rebus quidem praesentibus quid utile sit dicere scientem, contra alios multos, qui de futuris se nihil scire, sed opinionibus et coniecturis contentos esse confitentur, multo plus illo secum consentientes multoque plura recte constituentes, §. 7. 8. Quid, quaeso, in universa hac Isocratis disputatione inest, quod non potuerit non Platoni maxime displicere? Immo nonne rectissime scripsit Usener[5]: „Isokrates hatte zwar nur den Antisthenes angegriffen, aber indem er sich über die Lehrbarkeit der Tugend und des

5) Abfassungszeit des Platonischen Phaidros, in Mus. Rhen. XXXIV. 1880. p. 137.

glücklichen Lebens lustig machte, gleich sehr allen Sokratikern den Fehdehandschuh hingeworfen"? Repetam etiam quae ipse scripsi [6]): „Dagegen sollte man glauben, es gehöre doch nur ein klein wenig gesunder Menschenverstand dazu, um, einmal von Usener darauf aufmerksam gemacht, einzusehen, dass Platon unmöglich am Schlusse des Phaedros noch von Isokrates schreiben konnte, derselbe habe etwas Philosophisches in sich und könne, wenn er nur wolle, sogar ein wirklicher Philosoph werden, nachdem Isokrates in der Sophistenrede nicht bloss in der Redekunst das Gebiet der Wissenschaft, Erkenntniss oder Theorie auf die εἴδη oder ἰδέαι beschränkt und alles Andere der Uebung und Nachahmung anheimgegeben, sondern auch Glückseligkeit und Tugend nicht für Sache des Wissens, sondern des blossen Meinens erklärt hatte". Accedit quod Isocrates etiam §. 21 non solum idem repetit, dico virtutem non posse doceri, verum iam tunc addit perversam illam suam sententiam, secundum quam quod omnino fieri queat, ut ad eam incitentur et in ea exercitentur animi hominum, optime hoc fieri contendit studiis oratoriis, quae ipse φιλοσοφίαν appellat (non vero philosophis, quae ipse περὶ τὰς ἔριδας διατριβὴν nuncupat). Iam igitur Siebeckius eis, quae post verba allata adiecit: „Dass ... auch die Sokratische Unterscheidung von δόξα und ἐπιστήμη (§. 7) so wie der Sokratische und sophistische Satz von der Lehrbarkeit der Tugend (§. 21) einen missgünstigen Seitenblick (?) erhalten, mag in Verbindung mit dem Unzulänglichen der Ausführungen über das Verhältniss von Rede und Schrift so wie der über die Aufgabe der Rhetorik Platon eben die Veranlassung gegeben haben, dem damals noch mehr oder weniger befreundeten Rhetor im Phaidros eine Lection über das wahre Wesen der Rhetorik und ihr Verhältniss zum Wissen zu ertheilen, jedoch eben eine solche, welche die Grenzen einer wohlwollenden Kritik nicht überschreiten sollte", Userum non modo non refutavit, sed profecto ne conatus quidem est refutare.

Sed cetera consideremus. In altera fragmenti parte §. 9—18 Isocrates Alcidamantem ita reprehendit refellitque, ut hanc censuram mutatis mutandis etiam ad reliquos recentiores artis rhetoricae magistros quadrare et ad eos quoque refutandos sufficere putet, §. 19. Exprobrat Alcidamanti, quod circulatoria sane ratione hic promisit auditores, etiamsi natura eis non faveret et sine multa exercitatione, sola ipsius disciplina artis dicendi tam compotes factum iri quam litterarum linguae (§. 10). Et recte quidem Siebeckius scribit: „Wie aus §. 12 hervorgeht, diente der Hinweis auf die Erlernung der γράμματα den Sophisten" (potius dem Alkidamas) „nur als Beispiel (παράδειγμα φέροντες, cf. §. 13. οἱ χρώμενοι τοῖς τοιούτοις παραδείγμασι) und sollte demnach wohl nur besagen, dass sie ihren Schülern die Redefertigkeit zu einer eben so leicht erreichbaren und unfehlbaren Sache zu machen vermöchten, wie ihnen dies, früher die Erlangung des Schreibens gewesen sei", at falsissime pergit sic: „Wenn die Sache so liegt, so hat nun Isokrates in dem, was er zur Kritik dieser Prahlerei in §. 12 f. beibringt sich gegen seine Gegner allerdings selbst eines einigermassen sophistischen Mittels bedient. Den Begriff der γράμματα lässt er im Verlauf seiner Kritik gleichsam unvermerkt eine Bedeutung annehmen, die weiter reicht als die, welche jene in den Sinn genommen hatten. Aus der Bedeutung Schreibkunst macht er nämlich die der Schriftstellerei". Neque minus falsa

6) In recensione libelli a Zycha editi, quem infra citabo, Philol. Anzeiger XI. 1882. p. 295,

sunt quae addit: „am deutlichsten zeigt sich dies in der letzten Antithese, die er auf Grund dessen zwischen λόγοι und γράμματα zu Stande bringt: τοὺς μὲν γὰρ λόγους οὐχ οἷόν τε καλῶς ἔχειν, ἢν μὴ τῶν καιρῶν καὶ τοῦ πρέποντος ἱκανῶς μετάσχωσιν, τοῖς δὲ γράμμασιν οὐδενὸς τούτων προσεδέησεν (§. 13)". Quid? In libris scriptis τὸ πρέπον quaerere non opus est? Tamne absurda dixit Isocrates? Immo omnia, quae affert de discrimine γραμμάτων et λόγων, ad litteras linguae quadrant, nihil ad libros. Illae enim revera immutabiles sunt et eaedem earum semper eorundem signa, in λόγους vero non solum ore habitos, sed etiam scriptos contrarium cadit: non modo enim dicenti, verum etiam scribenti ea minus utilia sunt, quae iam alius ante eum protulit, sed is est summus ut in dicendo ita etiam in scribendo artifex, qui non solum apta rei tractandae, verum etiam nova optime invenire potest [7]). Et non solum in ore habendis, sed etiam in scribendis λόγοις quaerendum semper est, quaenam apta sint et quaenam nova, contra in elementis linguae tali studio non opus est [8]), quia nimirum unusquisque scit, quaenam littera ad hoc, quaenam ad illud apta sit, et quia nusquam nova litterarum signa, sed ubique pauca illa usitata adhibenda sunt [9]). Antea quidem §. 9 Isocrates Alcidamantem, qui haud dubie velut eius magister Gorgias se in extemporalibus orationibus excellere gloriabatur, contendit deterius scribere orationes, quam indocti haud pauci ex tempore faciant, at omnino maioris aestimandum esse scriptorem quam oratorem ne hoc quidem loco dicit. Ergo quae Isocrates disseruit §. 9—13 et quae Plato 275 D. E sine ullo sunt inter se conexu.

Restat igitur unus dumtaxat locus §. 14—18, quo reapse aut Isocrates Phaedri Platonici p. 269 D. 272 A, aut cuius Plato in Phaedro eisdem in verbis et, si Deo placuit, 268 E· 269 B. rationem habuit. Attamen in hoc quoque explicando haud mediocriter lapsus est Siebeckius. Haud enim animadvertit eadem duo, quorum alterum facilius scientiae, alterum multo difficilius exercitationi et opinioni §. 16 sq. [10]) traditur, in §. 17 sq. inde a verbis καὶ

---

7) §. 12. τὸ μὲν τῶν γραμμάτων ἀκινήτως ἔχει καὶ μένει κατὰ ταὐτόν, ωστε τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν χρώμενοι διατελοῦμεν, τὸ δὲ τῶν λόγων πᾶν τοὐναντίον πέπονθεν· τὸ γὰρ ὑφ' ἑτέρου ῥηθὲν τῷ λέγοντι μετ' ἐκεῖνον οὐχ ὁμοίως χρήσιμόν ἐστιν, ἀλλ' οὗτος εἶναι δοκεῖ τεχνικώτατος, ὅστις ἂν ἀξίως μὲν λέγῃ τῶν πραγμάτων, μηδὲν δὲ τῶν αὐτῶν τοῖς ἄλλοις εὑρίσκειν δύνηται.

8) §. 13. μέγιστον δὲ σημεῖον τῆς ἀνομοιότητος: secuntur verba allata.

9) Quin immo etiamsi aeque vera esset Siebecki interpretatio, atque falsa est, ne sic quidem ullo verbo ab Isocrate scriptas orationes plane ac diserte praeferri ipse Siebeckius concedere coactus est, at tanto amore flagrat coniecturae suae, ut adiciat haec: „Aus dem Munde des Mannes aber, der sich im Gegensatze zu der gerichtlichen Rhetorik seinerseits auf seine Kunst des Redenschreibens etwas zu Gute that" (anne iam eo tempore, quo Phaedrus prodiit? hoc certe nondum demonstratum, sed id ipsum est, quod demonstrare vult Siebeckius: circulum igitur facit in demonstrando!), „konnte die scharfe Hervorhebung jenes Unterschiedes unwillkürlich (!) als eine Bevorzugung der γράμματα vor den λόγοι erscheinen, und selbst wenn dies nicht der Fall gewesen wäre, so war das Geflissentliche jener Unterscheidung ganz danach angethan Platon gelegentlich zu einer Darlegung seiner Auffassung derselben (im Sinne der Hintansetzung der Schrift gegen die mündliche Rede) zu veranlassen". Sane si ita licet scriptores explicare, nihil est, quod nequeas in eis invenire.

10) φημὶ γὰρ ἐγὼ τῶν μὲν ἰδεῶν, ἐξ ὧν τοὺς λόγους ἅπαντας καὶ λέγομεν καὶ συντίθεμεν, λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην οὐκ εἶναι τῶν πάνυ χαλεπῶν, ἤν τις αὑτὸν παραδῷ μὴ τοῖς ῥᾳδίως ὑπισχνουμένοις ἀλλὰ τοῖς εἰδόσι τι περὶ αὐτῶν· τ' δὲ τούτων ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων ἃς δεῖ προελέσθαι καὶ μίξασθαι πρὸς ἀλλήλας καὶ τάξασθαι κατὰ τρόπον, ἔτι δὲ τῶν καιρῶν μὴ διαμαρτεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐνθυμήμασι πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον καταποικῖλαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως καὶ μουσικῶς εἰπεῖν, ταῦτα δὲ πολλῆς ἐπιμελείας δεῖσθαι καὶ ψυχῆς ἀνδρικῆς καὶ δοξαστικῆς ἔργον εἶναι: ut δοξαστικῆς ad opinionem ita ἀνδρικῆς ad exercitationem pertinet.

δεῖν[11]) primo loco magistri, secundo discipuli ratione habita ita iterari, ut quid ex doctrina, quid ex exercitatione ille discere, quid praeceptis, quid suo ipsius exemplo ad imitandum proposito hic docere debeat, exponatur. Quae si tenemus, εἴδη τῶν λόγων §. 17 non sunt genera orationum, sed plane eadem, quae §. 16 ἰδέαι, ἐξ ὧν τοὺς λόγους· ἅπαντας καὶ λέγομεν καὶ συντίθεμεν appellantur. Satis confusa eorum notio, si omnino in tanta confusione de notionibus loqui licet, quae sit apud Isocratem, satis explicuit Blassius[12]). Iam vero si haec omnia reputamus, inter verba Isocratis §. 17 τὰ μὲν εἴδη ... γυμνασθῆναι et Platonis p. 271 B et D iterum prorsus nihil esse commune fatendum est. Praeterea εἴδη sive ἰδέαι Isocratis latius certe multo patent quam βραχυλογία καὶ ἐλεεινολογία καὶ δείνωσις: ergo etiam verba Platonis 272 A, in quibus de his sermo est, minime possunt scripta esse ad castiganda verba Isocratis §. 16 ἐφ' ἑκάστῳ ... κατὰ τρόπον, praesertim cum ne minima quidem sit in illorum et horum elocutione similitudo. Certe ego quidem ignoro, unde sciat Siebeckius eadem potius esse has ἰδέας atque ea, quae docuerant artium scriptores: si vero hoc non constat, quo iure contendi licet Platonem, cum 266 C — 269 C demonstret totam illam eorum sapientiam non τέχνην esse, sed τὰ πρὸ τῆς τέχνης tantum, hoc scribere non potuisse, nisi iam cognita Isocratis declamatione eum docere voluisset in eius ἰδέας, quas solas ille scientiae esse crederet, plane idem cadere? An fortasse his locis tanta est verborum Platonis 268 E ἀνάγκη μὲν καὶ ταῦτ' ἐπίστασθαι τὸν μέλλοντα ἁρμονικὸν ἔσεσθαι, οὐδὲν μὴν κωλύει μηδὲ σμικρὸν ἁρμονίας ἐπαΐειν τὸν τὴν σὴν ἕξιν ἔχοντα· τὰ γὰρ πρὸ ἁρμονίας ἀναγκαῖα μαθήματα ἐπίστασαι, ἀλλ' οὐ τὰ ἁρμονικά (cf. 269 B εἴ τινες ... τὰ πρὸ τῆς τέχνης ἀναγκαῖα μαθήματα ἔχοντες ῥητορικὴν ᾠήθησαν εὑρηκέναι) et Isocratis §. 16 τῶν μὲν ἰδεῶν ... εἰδόσι τι περὶ αὐτῶν[13]) similitudo? Ego rursus video nullam. Nam duo scriptores ubi de scientia locuntur, quomodo hoc facere queant sine usu vocabulorum scientiam significantium, equidem non assequor. Praeterea autem ne eisdem quidem utuntur: apud Isocratem enim legimus λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην et τοῖς εἰδόσι, apud Platonem ἐπίστασθαι et ἐπίστασαι. Ecce iam omnia evanuerunt vestigia Platonis Isocratem leniter corrigentis! Cumque universa Lysiae censura apud Platonem non ea sit, ut in Lysiae sola haereat persona, sed omnes potius tangat eiusdem generis oratores et scriptores, e verbis εἴτε Λυσίας ἤ τις ἄλλος (277 D) vel Λυσίᾳ τε καὶ εἴ τις ἄλλος (278 C) cum Siebeckio concludere velle indefinitum hunc „alium" revera definitum esse virum et hunc quidem Isocratem, hoc me saltem iudice est suam libidinem venditare pro scientia firmas demonstrationes postulante. Neque video, quomodo omittere potuerit Plato aut aliis verbis exprimere quae scripsit 272 A ταῦτα δὲ ἤδη πάντα ἔχοντι, προσλαβόντι καιροὺς τοῦ πότε λεκτέον καὶ ἐπισχετέον ... τὴν εὐκαιρίαν καὶ ἀκαιρίαν διαγνόντι, si nondum emissa fuit oratio contra sophistas. Immo nihil aliud est ex

---

11) καὶ δεῖν τὸν μὲν μαθητὴν πρὸς τῷ τὴν φύσιν ἔχειν οἵαν χρὴ τὰ μὲν εἴδη τὰ τῶν λόγων μαθεῖν, περὶ δὲ τὰς χρήσεις αὐτῶν γυμνασθῆναι, τὸν δὲ διδάσκαλον τὰ μὲν οὕτως ἀκριβῶς οἷον τ' εἶναι διελθεῖν ὥστε μηδὲν τῶν διδακτῶν παραλιπεῖν, περὶ δὲ τῶν λοιπῶν τοιοῦτον αὑτὸν παράδειγμα παρασχεῖν ὥστε τοὺς ἐκτυπωθέντας καὶ μιμήσασθαι δυναμένους εὐθὺς ἀνθηρότερον καὶ χαριέστερον τῶν ἄλλων φίνεσθαι λέγοντας.

12) Die attische Beredsamkeit II, p. 100. Cf. Zycha Bemerkungen zu den Beziehungen und Anspielungen in der XIII. und X. Rede des Isokrates, Vindob. MDCCCLXXX. p. 40—42.

13) V. n. 10.

hoc loco concludendum nisi hoc: si Plato haec scripsit postquam Isocrates divulgavit verba similia §. 16 ἔτι δὲ τῶν καιρῶν μὴ διαμαρτεῖν, eorum haud dubie non immemor erat, sin Isocrates sua post haec, convertenda res est.

Nihil igitur manet nisi quod attulit Usener paululumque amplificavit Zycha [14]): verba, quibus tria opus esse futuro oratori, ingenium doctrinam exercitationem, et Isocrates assoverat §. 14 αἱ μὲν γὰρ δυνάμεις καὶ τῶν λόγων καὶ τῶν ἄλλων ἔργων et inprimis §. 17 sq. καὶ δεῖν τὸν μὲν μαθητὴν ... γυμνασθῆναι [15]) ... καὶ τούτων μὲν ἁπάντων συμπεσόντων τελείως ἕξουσιν οἱ φιλοσοφοῦντες· καθ' ὅ δ' ἂν ἐλλειφθῇ τι τῶν εἰρημένων, ἀνάγκη ταύτῃ χεῖρον διακεῖσθαι τοὺς πλησιάζοντας et Plato 269D τὸ μὲν δύνασθαι, ὦ Φαῖδρε, ὥστε ἀγωνιστὴν τελεὸν γενέσθαι, εἰκός, ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον, ἔχειν ὥσπερ τἆλλα. εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσει tam similia sunt, ut alteruter haud dubie alterum cum adsensu citare voluerit: utrum autem ille hunc an hunc ille, ex his quidem solis verbis decerni utique nequit, at si reputamus quae adhuc demonstravimus, nequaquam dubium esse potest, quin Plato tali ratione ab Isoccrate laudatus sit non Isocrates a Platone. Isocrates enim etsi eis, quae contra scientiam moralem et de suorum studiorum maxima vi ad mores emendandos disseruit, revera, sicut dixi, etiam Platonem offendebat et sine dubio minime ignorabat ea quoque, quae de exiguo ambitu, parva dignitate, tenui argumento scientiae ad artem eloquentiae spectantis docuit, Platoni nequaquam placere potuisse, summopere tamen omnia declinat, quibus dedita opera expressisque verbis laedere eum velle possit videri, nondumque vult amicitiam, quae adhuc inter eos fuerat, dissolvere: quae si ita se habent, facillime intellegitur, cur laudis bene memor ab illo in Phaedro ipsi tributae eo libentius arripiat occasionem Platonem rursus ita laudandi, ut eam certe sententiam, de qua cum illo congruit, similibus verbis atque ille in illo dialogo exprimat. Contra Plato si Phaedrum scripsit post hanc Isocratis declamationem, quomodo potuerit non solum idem facere, sed etiam, id quod iam dixi, Isocratem in exitu huius dialogi tali ratione laudare, ea vero, quae maiore ex parte ad refutandas, minore ad emendandas et corrigendas sophistae sententias spectabant, ita proponere, ut nusquam, sicut demonstvavi, claris atque distinctis verbis eas castigaret, ne dicam digito eas monstraret, equidem profecto non assequor, neque assequi potuit ipse Siebeckius: inde enim factum est, ut plane aliter rem se habere frustra ostendere studeret. Ceterum etiam si omnia, quae protulit, probarem, nihilomnus non cum ultimis eius verbis consentirem: „Als Programm zur Eröffnung der Akademie dürfte der Phaidros nach alledem schwerlich geschrieben sein". Etenim cum huius dialogi argumentum in nulla alia re nisi in recta ratione docendi, dicendi, scribendi versetur et hac in re vivam vocem tantopere libris scriptis praeferat, tam verisimilis est haec coniectura a Siebeckio et per aliquod tempus a me [16]) quoque repudiata, ut si ceteroqui cum viro doctissimo concordarem, minime dubitarem eorum sententiam sequi,

---

14) Is enim l. l. p. 22, cf. p. 17, detexit similitudinem nequaquam fortuitam verborum Isocratis §. 14 αἱ μὲν γὰρ ... ἔργων et Platonis 269D τὸ μὲν δύνασθαι ... τἆλλα. V. tamen quae monui Philol. Anz. l. l. p. 294 et monebo infra n. 19.

15) V. n. 11.

16) Die Abfassungszeit des Platonischen Phaidros, in Ann. philol. CXXI. 1880. p. 718 sq. CXXIII. 1881. p. 659 sq. 664.

qui thiasi academici originem in anno domum 388 vel 387 collocant: nunc vero eandem ipsam ob causam ut Laertium Diogenem secutus iam alio loco [17]) scholae huius initium Phaedrumque eius prolusionem annis 394—392, Isocratis autem illud programma annis fere 392—390 tribui, ita firmiter persevero in hac sententia.

Ut tamen eadem omni ex parte stare queat, lenius corrigenda est etiam Siebecki de ratione, qua cum Gorgia dialogo antea scripto coniunctus est Phaedrus, egregia disputatio. Plane enim verum est qui solum Gorgiam legerit, eum non posse non credere ex Platonis sententia nullam esse eloquentiam verae artis (τέχνης) participem, sed omnem esse ἄτεχνον τριβήν, contra in Phaedro (p. 260 E sqq.) praeter hanc vulgarem falsamque etiam veram agnosci et constitui, in quam non cadat eiusmodi vituperatio, et iam hanc ob causam minime esse dubitandum, quin Phaedrus post Gorgiam ortus sit. Neque minus verum est in Phaedro (261 A) Gorgiam (453 A. 452 E) ita citari, ut omnino hoc fieri potest in forma dialogica. At expressis verbis addere debebat vir doctissimus non solum in initio argumentationis unius et continuae, quae legitur 261 A—269 C, haec θρέμματα γενναῖα 261 A evocata e Gorgia (452 E sqq.) paululum mutata breviter repeti nonnullisque additamentis augeri, sed etiam in ultima huius argumentationis parte 266 C—269 C, id quod supra iam monui, prorsus nova ratione idem illud demonstrari, dico non τέχνην esse quae protulerunt Artium scriptores, sed τὰ πρὸ τῆς τέχνης tantum. Neque tam accurate, quam dici debebat, a Siebeckio dictum est oratorem, qui artem exerceat a Platone inde a verbis ὅσον δὲ αὐτοῦ τέχνη 269 D usque ad 272 B descriptam, e Platonis sententia nondum hac in re esse philosophum, sed vere philosopham eloquentiam lectiones demum esse philosophiae magistri, de quibus postea demum 276 A sqq. sermo sit [18]).

Immo haec est Platonis demonstratio 259 C—269 C. Etiamsi concedere velles, quod, vulgo creditur, non id curandum esse oratori, ut veritatem doceat, sed id tantum, ut speciem efficiat veritatis sive rectam sive falsam, tamen ut alios certo et cum arte fallere sibique ipsi cavere queat, ne ab adversariis fallatur, ab eo ipso sciri necesse est veram naturam rei tractandae, hoc est notiones (vel ideas) rerum, non solum secundum argumentum, sed etiam secundum formam ac methodum, hoc est secundum artem notiones in unum comprehendendi et in species dividendi, qua etiam nititur bene disponendi ars. Nemo igitur artis rhetoricae est compos, qui ignarus est dialecticae tum secundum argumentum tum secundum formam. Ergo artis rhetoricae magistrorum est aut dialecticam docere aut postulare, ut discipuli eam iam a philosophis didicerint. Illud ab eis non fieri concessum est: hoc autem etiamsi revera sentirent, vel sic ipsi ostenderent eam, quam profitentur, rhetoricam non esse revera artem. Nam quae reapse in compendiis, quas Artes vocant, ab eis docentur non esse artem, sed ea tantum, quae in usu artis sunt (τὰ πρὸ τῆς τέχνης), ex aliarum artium exemplis facile est demonstratu. At-

17) De vitis Tisiae etc. p. XIV—XIX.

18) Philol. l. l. p. 176: „Im Gorgias giebt es für Plato nur zwei Unterschiede der Redner (?): der gewöhnliche Rhetor und der auf Besserung der Menschen durch seine Reden bedachte Philosoph (504 C f.). Im Phaedrus hingegen unterscheidet er drei Arten von Ausübung der Redekunst: die Rhetorik gewöhnlichen Schlages, p. 259 E ff., sodann die namentlich (?) durch psychologische Einsicht veredelte Rhetorik (wie sie Platon sich denkt), die als solche noch nicht Philosophie ist, p. 269 D—272 B, endlich die unterrichtende Philosophie selbst, p. 276 A ff.

tamen etsi ea rhetorica, quae vera ars est, non est sine dialectica sive (quod idem est) sine philosophia (261 A ἂν μὴ ἱκανῶς φιλοσοφήσῃ), dialectica et rhetorica non sunt unum idemque, cf. 266 C. D τοῦτο μὲν τὸ εἶδος ὀρθῶς ἔμοιγε δοκεῖς καλεῖν, διαλεκτικὸν καλῶν· τὸ δὲ ῥητορικὸν δοκεῖ μοι διαφεύγειν ἔθ' ἡμᾶς. Σω. πῶς φῄς; καλόν πού τι ἂν εἴη, ὃ τούτων ἀπολειφθὲν ὅμως τέχνῃ λαμβάνεται;

Nolite igitur mirari, commilitones, quod verbis proxime sequentibus iam supra citatis, quibus definitur, quomodo tandem aliquis fiat verus orator, 269 D εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσει, adiciuntur haec: ὅσον δὲ αὐτοῦ τέχνη, οὐχ ᾗ Λυσίας (Τισίας Schaefer recte, nisi fallor) τε καὶ Θρασύμαχος πορεύεται, δοκεῖ μοι φαίνεσθαι ἡ μέθοδος. Non enim obliviscendum est e Platonis sententia scientiam (ἐπιστήμην) sola dialectica sive idearum doctrina, hoc est, ut nostris utamur terminis technicis, sola logica et metaphysica contineri, ut plane idem sit philosophus atque dialecticus. Ut vero dialecticus fiat etiam rhetoricus, ex pura hac scientia descendendum ei est ad dialecticam physices parti psychologicae applicatam, ad scientiam divisionis in animorum et orationum generibus distinguendis atque his ad illa adaptandis adhibitam, quoniam ars inventionis et dispositionis oratoriae non solum e rebus tractandis pendet, verum etiam e personis audientium, 269 D—271 D. Et ne huius quidem theoriae (ut hoc verbo uti liceat) applicatae praecepta generalia sufficiunt, immo sollerter eis moderandum est secundum singula, ut a rectis illis opinionibus e scientia profectis etiam magis descendendum sit ad perceptiones atque iudicia sensus externi et interni, δεῖ δὴ ταῦτα ἱκανῶς νοήσαντα, μετὰ ταῦτα θεώμενον αὐτὰ ἐν ταῖς πράξεσιν ὄντα τε καὶ πραττόμενα, ὀξέως τῇ αἰσθήσει δύνασθαι ἐπακολουθεῖν ... παραγινόμενόν τε δυνατὸς ᾖ διαισθανόμενος ἑαυτῷ ἐνδείκνυσθαι, ὅτι οὗτός ἐστιν καὶ αὕτη ἡ φύσις, περὶ ἧς τότε ἦσαν οἱ λόγοι, νῦν ἔργῳ παροῦσα οἷ ... πειθώ 271 D—272 A, et tunc demum etiam recti momenti (εὐκαιρίας) accedit observatio et omnia illa, quae πρὸ τῆς τέχνης sunt, 272 A. B. A scientia igitur ad artem, ab arte ad exercitationem transeundum est: illud enim διαισθάνεσθαι δύνασθαι et εὐκαιρίαν τε καὶ ἀκαιρίαν διαγιγνώσκειν (272 A) non sine experientia et exercitatione comparari posse ut nobis ita procul dubio etiam Platoni videtur. Quae cum ita sint, ut ad 269 D redeamus, tam ambigue ibi loquitur philosophus, quia τέχνη opposita φύσει quodammodo ἐπιστήμην, quatenus inest in arte rhetorica, et μελέτην comprehendit, quodammodo tamquam quartum quid ad tria illa φύσιν, ἐπιστήμην, μελέτην adiungitur [19].

---

19) Secundum haec mutanda et corrigenda sunt quae Zychae opposui Philol. Anz. l. l. p. 294: „Zycha's Hauptgrund die Sophistenrede dem Phaedros vorangehen zu lassen ist folgender: Platon unterscheide p. 269 D zwischen den Bedingungen ein vollendeter Redner zu werden, nämlich Anlage, Uebung, Wissenschaft, und den Forderungen an die Rhetorik als Kunst; man würde eine gleiche Klarheit (?) bei Isokrates §. 14 — 18 nicht vermissen, wenn ihm der Phaedros schon vorgelegen hätte. Allein was nach Platon die Rhetorik zur Kunst macht, ist ja selbst eine jener drei „Bedingungen" oder vielmehr Ursachen, nämlich die Wissenschaft, einerseits die Dialektik (nämlich Sachkenntniss 259 C—263 E und logische Ordnung 263 E—266 C), andrerseits die psychologische Einsicht (269 E—272 B), wozu denn als blosse unentbehrliche Neben- und Vorkenntnisse das in den rhetorischen Lehrbüchern Abgehandelte kommt (266 C—269 D)". At tali ratione mutata non minus refutant Zycham. Bene tamen meritus est vir doctissimus de loco Phaedri 269 D recte intellegendo, cum ne Bonitzius quidem difficultatem, quae revera in eo inest, detexerit.

Nondum tamen sublata est sumptio illa, secundum quam etiam eiusmodi orator posset auditores fallere velle. Sed tandem tollitur in clausula totius huius disputationis 272 B—274 B, simulque repetitur et accuratius exponitur Tisiae et eius successorum sententia, ex qua ne ipsum quidem oratorem veri cognitione egere asseverant, sed satis esse, si speciem cognoverit et eandem iam in primis huius disputationis verbis (260 A sqq.) satis refutatam esse monetur, eique opponitur (273 D. E) enumeratio[20]) triplicis cognitionis, qua non carere posse eloquentiam sublimiorem artis nomine dignam demonstratum est, metaphysicae (ὁ τὴν ἀλήθειαν εἰδώς), psychologicae (ἐὰν μή τις τῶν τε ἀκουσομένων τὰς φύσεις διαριθμήσηται), logicae (καὶ κατ' εἴδη διαιρεῖσθαι τὰ ὄντα καὶ μιᾷ ἰδέᾳ δυνατὸς ᾖ καθ' ἓν ἕκαστον περιλαμβάνειν).

Ut igitur haec omnia in unum comprehendamus: philosophus dialecticam docens dialecticus est, non rhetoricus. Sed cum physicen docet et ethicam, in fines intrat rhetoricae sublimioris. In eiusdem finibus versatur qui philosophiam omnino non docens, sed eius tamen gnarus scientiam dialecticam et artem psychologicam et rhetoricam adhibet ad orationes aut deliberativas aut iudiciales, ad laudationes aut vituperationes, ad scholas historicas, mathematicas, medicas, alias habendas. Huic rhetoricae sublimiori opposita est vulgaris illa, quae non ars est, sed dexteritas quaedam (ἄλογος τριβὴ καὶ ἐμπειρία), qualis in compendiis rhetoricis docetur et in vitae usu exerceri solet non ad veritatem vergens, sed ad speciem fallacem. Medium denique locum obtinent qui sine scientia dialectica tamen felici ingenio rectisque opinionibus ducti auditores lectoresve de rebus, quae tractantur, non fallere, sed eis quoque rectas opiniones tradere student, itaque non philosophi quidem sunt, at habent tamen φιλόσοφόν τι. Horum mentionem faciendi cum ipse dialogus Platoni non dederit occasionem, hunc in finem clausula 278 E sqq.[21]) adhibetur: ex eorum enim numero Isocrates est, ut tunc Platoni videbatur.

Etiam duo adicio. In Theaeteto enim αἴσθησις nihil aliud est nisi perceptio sensus externi, et quod in Phaedri illo loco 271 E non minus hoc nomine appellatur de rebus singulis iudicium ibi potius adnumeratur opinionibus (δόξαις), quoniam recte ibi duplex opinionum genus agnoscitur, alterum humilius ad singula (179 C τὸ παρὸν ἑκάστῳ πάθος, ἐξ ὧν αἱ αἰσθήσεις καὶ αἱ κατὰ ταύτας δόξαι γίγνονται. 191 C — 195 A), alterum sublimius ad generalia spectans (195 B — 200 C). Ergo ex hac quoque re apparet Theaetetum scriptum esse post Phaedrum.

Vix autem, nisi vehementer fallor, etiam in Euthydemi fine Isocratem (nam hunc esse anonymum, de quo ibi sermo est, hodie inter omnes constat) ita descripsisset, ut hic in iudi-

20 Recte Bonitzius Platonische Studien, ed. III. Berol. MDCCCLXXXVI. p. 281. n. 9: „Recapitulirend zusammengestellt werden die (drei) Erfordernisse für die Kunstmässigkeit der Rede p. 273 D ... und wiederum p. 277 B f. ... und das Erforderniss, die Einsicht in die Sache, wird nochmals vergegenwärtigt p. 278 C: εἰ μὲν εἰδὼς ᾖ τὸ ἀληθὲς ἔχει κ. τ. λ."

21) Admodum miror Vahlenum et Schanzium, quod eam ob causam 279 A fin. reiciunt codicis Bodleiani lectionem εἴ τε pro ἔτι τε praebentis, quia 242 E reapse in eodem libro εἴτε ex ἔτι τε scribendi errore ortum est. Nonne enim aeque facile hoc loco e contrario alterius familiae lectio ἔτι τε potest depravata esse? Plane incerta igitur res maneret, nisi e Ciceronis translatione (Brut. 13, 41), in qua inest „aut — aut" certissime sequeretur εἴ τε iam in eius exemplo fuisse scriptum. Neque enim Vahlenus neque Schanzius nobis explicuerunt, quomodo aliter sit haec res expedienda, neque potest explicari.

cialibus maximo orationibus excelleret[22]), si iam per complures annos tunc ab hoc orationum genere prorsus et summo cum contemptu abstinuisset[23]). Quod si ita est, haud admodum longo tempore post orationem contra sophistas extitit hic dialogus, quem, si recte iudico, proxime secuti sunt Cratylus et Theaetetus iam ante primum Platonis iter Siculum, hoc est, nisi nimis celeriter hos tres dialogos scriptos esse sumere velimus, orti esse omnes videntur fere inde ab anno 391 usque ad annum 389 vel 388. Quapropter Isocratis illud opusculum iam anno fere 392, Platonis Phaedrum iam anno fere 394 editum esse crediderim. Nam Theaetetum aut ipso anno 390 aut tempore proxime sequente vix post pacem Antalcidae prodiisse, nisi vehementer fallor, nuperrime Zeller[24]) argumentis demonstravit, quibus firmiores omnino non solent inveniri in hoc quaestionum genere, ea ipsa re recte usus, qua abusi erant Bergkius et Rohdeus.

De ceteris tamen dialogis dialecticis Sophista, cui adiunctus est Politicus, et Parmenide, ut hoc quoque paucis adiciam, nunc mihi transeundum esse videtur in eorum partes, qui eas post Rempublicam extitisse iudicant: quamquam fieri potest, ut causas, quae me admodum invitum ad hoc iudicium perduxerunt, etsi ipse refutare nequeo, tamen Zeller sit refutaturus. Quodsi Schanzius[25]) vir optimus et praestantissimus a me, cum nuper[26]) hunc mihi hodie videri ordinem temporum fuisse dixerim, ut Rempublicam proxime secuti sint Timaeus et Critias, Critiam Sophista, Politicus, Parmenides, Philebus, rationes, quae hoc probent, allatas non esse conquestus est, non satis reputavit expressis verbis me monuisse eodem loco[27]) videri in Sophista inesse vestigia quaedam posterioris doctrinae Platonis dialecticae, secundum quam ipsarum idearum duo statuit esse elementa. Nam e contrario in Timaeo ego certe eiusmodi vestigia detegere nequeo: immo hic dialogus hac in re prorsus mihi videtur consentire cum Theaeteto.

---

22) 304 D. τούτων τις τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινῶν, cfr. 305 C. ἐπαΐειν αὐτόν φασι περὶ τοῦ πράγματος ... καὶ δεινὸν εἶναι καὶ δεινοὺς λόγους συντιθέναι.

23) Postquam hoc scripsi, idem iam monitum esse a Christio Platonische Studien, philos.-philol. Abhh. der Münchner Akad. XVII. 1886. p. 504 sq. summo cum gaudio vidi: qui enim hoc concedit, ei concedendum etiam est de Platonis itineribus vera relata esse non a Cicerone, sed a Laertio Diogene, scholamque Platonis conditam iam esse ante primum iter Siculum. quoniam post eam conditam scriptum esse Euthydemum certissimis argumentis demonstravit Bonitzius. Sed ut Christius (p. 501) inter Phaedrum et Euthydemum unum saltem dialogum interiecisse putat, ne laus Isocrati in illius fine tributa vituperatione eiusdem in fine huius proxime excipiatur, ita ego e contrario maxime potius mirarer, si post orationem contra sophistas scriptam non citissime Plato laudem illam hac vituperatione correxisset. Ipsum autem Christium non possum satis mirari, quod, postquam diu secundum Useneri dissertationem sententiam meam non solum mutavi, sed mutatam iterum ac saepius contra alios defendi, a se impetrare potuit, ut me (Jahresber. III. 1875. p. 300) professum esse mihi ita exprobravit (p. 504. n. 2) non satis mihi demonstratum esse videri, utrum Phaedrus ante illud Isocratis scriptum an illud ante Phaedrum exierit, ut ne mentionem quidem simul huius mutationis faceret. Talis profecto res, ut hodierna loquendi ratione utar, non eget commentario, praesertim cum ego nunquam offenderim virum illum doctissimum!

24) Ueber die zeitgeschichtlichen Beziehungen des platonischen Theaetet, Berliner Sitzungsber. 1886. p. 631—649. Num hunc quoque summum virum in „noctuarum" numero ponere audebit singularium elegantiarum captator Christius, in quo me aliosque posuit his verbis (p. 496): „und wenn auch noch einige Nachteulen dem Lichte der Wahrheit sich verschliessen"?

25) Zur Entwickelung des platonischen Stils, Herm. XXI. 1886. p. 446. V. n. 28.

26) Wochenschr. f. klass. Philol. I. 1884. p. 515 sq. p. 523. n. 19.

27) p. 518 - 522.

Praeterea autem non minus eodem loco [28]) monueram Timaeum, etsi in eo pauca retractantur, quae in Republica docuerat Plato, nihilominus re in universum spectata una cum Critia plane congruere cum doctrina politica, qualis in Republica prolata sit, et Critiam eam ipsam ob causam imperfectam relictam Hermocratisque ne primos quidem versus scriptos esse, quia sententias suas de his rebus interea ita mutare coeperit philosophus, ut postea Leges scribere potuerit. Iam quod Hirzelius [29]) attulit ad demonstrandum inter Rempublicam et Leges ita compositum esse Politicum, ut mediam quandam inter dialogos illos sentiendi et iudicandi rationem in hoc Plato sequeretur, quomodo refellam me non habere dudum confessus sum [30]). Parmenidem ut post Sophistam ortum esse putem, commovent me rationes iam ante dimidium paene saeculum a Zelloro propositae. Denique Philebus scriptus est post Parmenidem, quippe qui in eo citetur [31]). Nescio igitur quid a Schanzio requiri potuerit argumentorum, quibus coactus fuerim ad ordinem supra memoratum constituendum. At recte timet Schanzius, ne si Sophistam inter Critiam et Politicum collocandum esse concedat et Timaeum inter Rempublicam et Critiam Philebumque inter Parmenidem et Leges, Dittenbergeri suisque ipsius observationibus et ratiociniis grammaticis, quae mihi quidem, dummodo ne plus praestare velint quam possunt, non solum minime spernenda, sed summa laude digna videntur, multo minus ponderis, quam duumviri illi opinantur, tribuendum sit. Neque tamen possum neque volo hac de re accuratius hoc loco disserere: dialogos illos Timaeum, Critiam, Sophistam, Politicum, Parmenidem, Philebum, Leges ultimos Platonis esse ut hodie credam, etiam grammaticis his observationibus permotus sum, sed ad litem de eorum ipsorum ordine dirimendam nimis infirmas esse eiusmodi rationes iam ex argumentis paucis hoc loco in medium prolatis unumquemque intellegere spero, qui non re praeiudicata in has quaestiones arbiter esse velit [32]).

Haec igitur hactenus: alia enim sunt, quae praetermittere nequeam hac scribendi opportunitate data, quoniam in editionis Moralium, quae Aristotelis nomine feruntur, Magnorum

---

28) p. 516: „Timaeos und Kritias sind nun natürlich die ältesten jener sieben letzten Dialoge, denn sie stehen im Wesentlichen noch auf dem politischen Standpunkt der Republik, und der Kritias blieb unvollendet, weil Platon diesen Standpunkt verliess: der Staatsmann muss nach diesen Praemissen (s. Hirzel Herm. VIII. 1874. S. 127 f., vgl. Peipers Ontol. Plat. S. 505) als Uebergang von demselben zu dem der Gesetze betrachtet werden". Quo igitur iure scripsit Schanzius l. l. „Weiterhin wird der Timaeus vorgerückt, z. B. von Susemihl in der Philol. Wochenschr. 1884. nr. 17, der ohne Angabe von Gründen ihn auf den Staat folgen lässt und ihn vor Sophistes, Politicus, Philebus ansetzt"?

29) L. l.

30) Jahresberichte III. (1884/5). p. 301 sq. In nonnullis Politici partibus opprobria quaedam respici Platoni a nescio quibus illata de disserendi ratione in Sophista adhibita non Rohdeus primus, ut credere videtur Schanzius l. l. p. 454, intellexit, sed dudum hoc monuerunt alii, v. Ast. Plat. Leb. u. Schriften p. 233 sq. Susemihl. Plat. Phil. I. p. 333, at inde non sequitur, ut philosophus post Sophistam et ante Politicum unum pluresve alios dialogos scripserit, sed satis haec res potest explicari, dummodo duos fere annos fuisse, post Sophistam editum cum exierit Politicus, sumamus, v. Susemihl. l. l.

31) Aut igitur uterque dialogus a Platone abiudicandus est aut neuter. Nihilominus Dittenberger (Herm. XVI. p. 323 sq. n. 2) Philebum genuinum esse putat, Parmenidem spurium esse suspicatur rationibus grammaticis nimium, ut iam hac ex re luce clarius est, confisus.

32) Plane neglexit Schanzius sobrium iudicium, quod et de Dittenbergeri disquisitionibus et omnino de tota hac disquirendi ratione statistica gravissimis argumentis allatis fecit Frederkingius Jahrb. f. Philol. CXXV. 1882. p. 534—541.

Prolegomenis[33]) promiserim eas quoque codicis Coisliniani 161 = P^2 varias lectiones, quas in ea divulgare non licuerit, alio loco inde a p. 1193^a publici iuris facere. Sunt autem secundum editionem meam hae:

1193^a 1. δέ ἐστι ‖ 3. παντὶ] πᾶσι ‖ 6. πάντας ‖ 8. ὡς — πράξει] ἐρεῖ καὶ πράξει ὡς ὁ ἀναίσχυντος ‖ 9. πάντως] π΄ντα ‖ 11. δὲ ἐστὶ ‖ 15. δὲ ‖ 16. πάντας] πάντα (ut videtur) ‖ 20. δὲ ἐστὶ ‖ 27. αὐτῷ ‖ 28. δὲ ἐστὶν ‖ 32. et 35. αὐτῷ ‖ 1193^b 15. ἄλλο] ἀλλ' οὐ ‖ 16. προειρημένου ‖ 17. δὲ ‖ 34. δ'] δὲ ‖ 35. δὲ] δέ γε ‖ 1194^a 6. καὶ] καὶ ὁ] ‖ 10. δὲ] δ' ‖ 13. αὕτη] τοιαύτη ‖ 17. καὶ post δίκαιον add. ‖ 18. δ' ὁ ‖ 19. ποιεῖται τὸ ἔργον ‖ 25. συνέχει ‖ 35. οὕτω ‖ 38. ἐξέκοψε τινός ‖ 1094 b, 1. ἀνάλογα, sed α in corr. ‖ 4. δίκαιον sequente spatio τὸ ‖ 10. τὸ δὲ ὡς υἱῷ ‖ 13. ὁ om. ‖ 16. αὐτῆς, ut videtur (evanuit) ‖ 17. πολίτσι ‖ δ' om. ‖ 18. ἐστι ‖ 23. δίκαιον ἐστι ‖ 28. ἢ] καὶ ἡ ‖ 1195^a 5. ἤδη ‖ 7. τῷ νόμῳ ‖ 8. ταυτὸ ‖ 17. ἕνεκεν ‖ 19. τι ‖ 25. μηδ' ‖ 33. ὥστε ‖ 1195^b 5. πως ‖ 25. δὲ aut δὴ (evanuit) ‖ 28. ἑαυτὸν ‖ ὥστε ‖ ἑκὼν om. ‖ 31. δέ γε] δὲ ‖ 33. τὰ om. ‖ 1196^a 3. τὰ ἄλλα ‖ 8. οὐδὲ ‖ 16. τί ‖ 21 et 22. οὐδὲ ‖ 27. αὐτῆς ‖ 34. ὁποτέρῳ ‖ 37. κρίνατος (ut videtur) ‖ 1196^b 9. ἀλλὰ ‖ 20. ἑτέραις] αὐτῶν ἑτέρας ‖ 22. τὰ ἄλλα ‖ 1197^a 10. οὐδὲν ‖ τοῦτο] τὸ ‖ 1197^b 1. δ' οὐ ‖ 18. τὰ om. ‖ 1198^a 24. ἡ utrumque om. ut $K^b Z^c$ Ald. (secludendum igitur erat) ‖ πρακτικὸν ‖ 1198^b 1. καὶ alterum om. ‖ 2. αὐτοῦ om. in lac. ‖ 4. καὶ om. ‖ 11. αὕτη] ὅτι αὕτη ‖ 14. πάντων] τῶν πάντων ‖ 15. ὑπὸ τῶν ἀναγκαίων post 16. ἐκκλείηται ‖ 18. ἐστι om. ‖ 33. παρέλιπεν ‖ 38. μὲν om. ‖ 1199^a 4. ἐστι ‖ περὶ om. ‖ 5. παρ' αἵρεσιν ‖ 11. τι om. ‖ 12. τὸν ante τρόπον add. ‖ 16. δόξειεν post 17. ἂν ‖ 1199^b 3. αὐτῷ ‖ ποτὲ ‖ 4. μᾶλλον ‖ 5. τὰ ἀγαθὰ ‖ 6. et 13. αὐτῷ ‖ 26. καὶ prius om. ‖ 1200^a 32. ἔσται ‖ 1200 b 12. δὲ ‖ 14. βέλτιον ‖ 27. δ' ‖ 29. ᾤετο ‖ 32. ἐστιν ‖ 33. ἡ ‖ 38. ἄρα ‖ 1201^a 1. φαῦλον τι ‖ 11. σώφρονι τι ‖ 28. δὲ ‖ 29. γε ‖ 1201^b 1. ταῦτα ‖ 3. ἐδόκει post εἶναι ‖ 6. οὐδὲν ‖ 11. τι ‖ 12. τις ‖ 28. πάντα ‖ 30. ἐπιστήμη om. ‖ 1202^a 1. φαῦλον τι ‖ 3. δὲ ‖ 9. ἐσομένου ‖ 20. οἷον om. ‖ 28. οὐδ'] οὐδέ γ' ‖ περὶ] περὶ τὸ ‖ 35. τιμὰς pr. (τιμὴν corr. [1]) 1202^b 2. καὶ om. ‖ 13. προθύμως] ἑτοίμως ‖ 21. σφοδρῶς ‖ 1203^a 3 et 4. αὐτῷ ‖ 13. ἐκείνῳ ‖ τιμιώτερα ‖ 17. χείρων, sed ων, ut videtur, in corr. ‖ 25. ἔνεστιν ‖ 1203^b 2. τέ ἐστι ‖ 3. αὐτὸν ‖ 16. εἶναι om. ‖ 29. ἀκρατὴς οὐθ' ὁ ἀκόλαστος οἷος ὁ ante ἀκόλαστος add. ‖ 1204^b 6. μὴ om. ‖ 10. μόνον om. ‖ 15. μὲν prius om. ‖ 22. καὶ prius om. ‖ 27. ἡμῖν om. ‖ 31. ἅ τινὲς ‖ 34. τὸ δ' ‖ 1204^b 17. λυπηθῆναι ‖ ὥστε ‖ 28. αὐτοῦ om. ‖ 33. δὲ post ψυχὴ ‖ 1205^a 5. ὥστ' ‖ 8. τὸ ἀγαθὸν ‖ 10. ποτὲ ‖ 13. ἥδεα ‖ ἂν — 14. ἡδονὴ om. ‖ 15. ἡδονὴ ἡδονή] ἡδονὴ ἀγαθὸν ‖ 34. οὐκ ‖ 36. οὐδ' ἄλλο ‖ 1205^b 2. εἰσι ‖ 11. φησίν ‖ 19. τὲ — τὲ ‖ 22. αἱ om. ‖ ἀναπλήρωσις ‖ 27. βέλτιστοι, ut videtur ‖ 34. καὶ om. ‖ 36. πάντα ‖ 1206^a 8. ἀλλὰ ‖ 10. αὐτῆς ‖ 12. ἂν ‖ 17. γε om. ‖ 22. ‖ ὥστ' ‖ 33. ἀνδρία ‖ 37. κρατεῖ post ποτὲ ‖ 1206^b 3. φαύλως] ὁ φαῦλος ‖ 7. δόξειε ‖ 21. οὕτω ‖ 32. βίον in ras. ‖ 35. τί ‖ 38. ἐστι ‖ ἐστιν ‖ 1207 a 5. ἐνταῦθα ‖ 6. τοῦτο ‖ 7. δόξειε ‖ 11. προσῆκον ἐστὶ ‖ 15. οὐδὲ ‖ 20. κύριοι ἐσμὲν ‖ 21. οὐδεὶς ‖ 23. καὶ post ἤδη add. ‖ 28. αὐτοῦ ‖ 1207^b 13. ὥστε ‖ 24. ὅταν] ὁ ‖ 25. καὶ ἀγαθὸν utroque loco (ut K^b Ald. ‖ 26. φασὶ ‖ 27. μὲν φαμὲν ‖ 34. μὴ ἐστιν ‖ 1208^a 2. τὰ ἀγαθὰ ‖ 4. ὑπὸ om. ‖ 5. κατὰ τὰς] κατ' ‖ 8. ποτέ ἐστι ‖ ἐστιν ‖ 11. ἑαυτοῦ ‖ 22. οὐκέτι ‖ 26. ἔχῃς, ut videtur ‖ 27. σεαυτῷ ‖ φησί ‖ οὐκέτι ‖ 32. δέ ἐστι ‖ 1208^b 10. ὁμοῖον — ὁμοῖον ‖ 11. κεραμίδος ‖ 13. κεραμίδος — κεραμίδι ‖ 14. κῦνα ‖ 31. Δία] θεὸν ‖ 1209^a 2. ἑαυτῷ ‖ 5. τῷ ἀγαθῷ ‖ 6. ἑαυτῷ ‖ 12. εἴ ἐστι etiam P^2, lege igitur in ed. mea εἴ Π^1 Va. ‖ 16. ἐστὶν post φιλητέον add. ‖ 26 et 27. δὲ ‖ 1209^b 7. φίλος] φαῦλος ‖ 26. ὑπῆρχε ‖ 29. αὐτοῖς ‖ 34. ἑαυτοῖς ‖ 1210^a 4. δὲ ‖ 11. τὴν alterum om. ‖ 12. αὐτῷ ‖ 17. εἰσι ‖ 22. τοῖς om. ‖

---

33) Lips. LDCCCLXXXIII. p. IX.

